

XVI.

2
3
4
5
6

Programm

des

1
1
1
1

Stadtgymnasiums zu Stettin

Ostern 1885.

Inhalt:

De M. Cornelio Frontone imitationem prisci sermonis latini adfectante. Particula I. Vom ord.
Lehrer Carl Priebe.
Schulnachrichten. Vom Direktor Hugo Lemcke.



STETTIN.

Druck von Herrecke & Lebeling.

1885.

1885. Progr.-Nr. 126.

De M. Cornelio Frontone

imitationem prisca sermonis latini adfectante.

Pars I.

Litterae Romanae inde a primo bello Punico usque ad aliquot p. Chr. nat. decennia quomodo effluerint et bibliotheca Palatina ab Augusto instituta convocatisque viris ingenio atque eruditione excellentissimis cultae auctaeque sint, cum fere nemo ignoret, facile intelligitur, qui factum sit, ut omnia quaecunque virtutis ingenique viribus populi Romani inter se consociatis in bonis litteris praeclara exstiterint, ad miram qua aetas illa florebat artis rationisque perfectionem exulta sint.

Sublata autem libera republica ingenique libertate sine qua ingenuae artes provenire atque crescere nequeunt oppressa¹⁾ cum et ipsi imperatores omnia litterarum genera non solum delectationis causa exercerent verum etiam eis moderarentur, neque quicquam aut dici aut scribi paterentur quod a rationibus suis civilibus discreparet, studia fieri non potuit quin variae et turbulentae temporum conditioni accommodata pristinum vigorem amitterent quem Nerva et Traianus²⁾ reducere frustra tentabant; 'ingenia enim in posterum quoque hebetata fracta contusa' erant³⁾; et cum omnis fere eruditio ac doctrina ex auditoris rhetorum haurirentur qui de rebus inanibus levibusque disputantes nonnisi clamores plaususque petebant: quid mirum, si 'et rerum tumore et sententiarum vanissimo strepitu'⁴⁾ cum omnia litterarum genera tum maxime, id quod Cato olim divina quadam mente praeviderat, ars oratoria quippe quae imprimis coleretur ad ieiunam verborum concertationem redigerentur?

Qui mos perversissimus eiusmodi erat⁵⁾, ut omnia obscura⁴⁾ impropria³⁾ tumida humilia sordida lasciva effeminata laudarentur; nam sermo rectus et secundum naturam enuntiatus nihil habere ex ingenio putabatur⁶⁾ nec quicquam iam proprium placebat, sed sordere omne videbatur quod natura dictavit.⁷⁾

Sententiae quaerebantur, si fieri poterat, praecipites vel obscurae⁸⁾, et cum a corruptissimis poetis figurae ac translationes sumerentur, paene quicquid dicebatur figura erat⁹⁾.

Quod quidem in vitium a Quintiliano non tam acerbè quam iuste reprehensum et quos habuit aequales et posterioris temporis cum poetas tum scriptores plus minus omnes incidisse videmus; atque iuvenes, cum rhetoribus et professoribus sapientiae qui dicebantur ducibus in

1) cf. Tac. Agr. c. 2. — 2) Tac. Agr. c. 3. — 3) Plin. ep. VIII, 14, 9. — 4) Petron. sat. I. — 5) Quint. II, 5, 10. — 6) Quint. II, 5, 11. — 7) id. VIII prooem. 24 et 26. — 8) id. VII, 1, 44; VIII prooem. 25. — 9) id. IX, 3, 1.

fictis et inanibus argumentis componendis disponendisque versarentur, nec mentes eorum sapientibusque e vita hominum quaesitis alerentur, id tantum spectare sunt instituti, ut congerendis coloribus faceteque dictis ex poetis Augusteae potissimum aetatis petitis ac verbis ingeniose arguteque fingendis orationes aut scripta sua specie quadam subtilitatis et elegantiae ornarent¹⁰).

Sic studiorum gravitate neglecta certaue via ac ratione amissa virtus scriptoris alii alia esse visa est; quin quibus poetis vel scriptoribus quisque maxime delectatus sit eorum voces locutionesque nec raro structuram eum sibi adrogasse cum aliorum scriptis tum Plinii epistulis satis apparet¹¹). Ac Tacitus quidem animi magnitudine ingenio gravitate omnium et suae et posterioris aetatis scriptorum facile praestantissimus, quamvis morem illorum modumque graviter aspernaretur, tamen cum poetico¹²) quodam sermonis pigmento et rhetoricis argutiis minime sese abstinerit sed subtilem Sallustianae elocutionis brevitatem captaverit, quanti et animorum et linguae Romanae fuerint languor atque hebetatio documento est.

Quibus malis quae consideratus quisque et intellegens dolebat sed quibus nemo iam mederi potuerit, secundo p. Chr. nat. saeculo quasi cumulus accessit, quod quicumque maiore ingenio praediti erant philosophiam Graecam amplectebantur quae sophistarum studio iterum effloruit omniumque animos ita occupavit, ut Romanae litterae neglectae propeque extinctae in provincias imprimis Galliam et Africam abirent, unde iterum renaturae visae sunt¹³).

Hoc scilicet Hadriano auctore¹⁴) vetustissimis poetis et scriptoribus repetendis imitandisque effici posse creditum est. Itaque antiquarii¹⁵) qui usque ad illud tempus in tenebris fuerant tanto honore esse coeperunt, ut Fronto Cirtensis omnium qui unquam existerunt scriptorum plane stultissimus ideoque summa de se opinione inflatus non modo per longum saeculi spatium studiis unus moderaretur verum etiam maxima laude dignus haberetur¹⁶); qui cum antiquorum scriptorum non ingenium imbiberet, sed dictis tantum eorum vocabulisque colligendis sua scripta habitu et quasi colore aliquo orationis antiquae oblinere studeret, inani litterarum disciplinas compilandi mori ac rationi est patrociniatus quibus Gellius discipulus eius omnes Frontonianorum sectae quae ipso magistro teste¹⁷) vocabatur facile superaverit.

Ex Frontonis discipulorumque*) eius epistularum reliquiis primum ab Angelo Maio e palimpsestis Ambrosianis et Vaticanis erutis¹⁸) tum Niebuhrii nuper Naberii cura editis ei qui uberiorem saeculi II notitiam sese percepturos esse speraverant, valde decepti sunt¹⁹). Nihilominus illae praeter tritas decantatasque sententias querelas morborum commendationes amicorum exercitationes scholasticas vix quicquam memorabile continentes haud parvum momentum faciunt ad studia et indolem Antoninorum aetatis recte cognoscendum²⁰), et praecipue qualis et Frontonis et M. Aurelii fuerit latinitas satis demonstrant.

¹⁰) Bernhardt, Röm. Litteraturgesch. (1872) p. 86 sq.; Teuffel, Röm. Litterat. (1872) p. 74 sq., 583 sq. — ¹¹) H. Holstein 'de Plinii minoris elocutione' Magdeb. 1869. — ¹²) Dräger 'Syntax und Stil des Tacitus' p. 101 — 106. — ¹³) Bernhardt Röm. Litteraturgesch. p. 324 sq. — ¹⁴) Ael. Spart. vit. Hadr. c. 16. — ¹⁵) Bernhardt Röm. Litteraturgesch. 327 sq.; 311, adnot. 213. — ¹⁶) Eum. panegy. Constant. Caes. XIV, cf. Rud. Klussmann, Emendationes Frontoniana, Berolini 1874; vide testimonia veterum de Frontone in Naberii editionis praef. p. XXXIV sq. — ¹⁷) Fronto ed. Nab. p. 95, 23, sq. — ¹⁸) v. Klussmann emendat. Fr. p. 1—9. — ¹⁹) Fr. Roth, 'Bemerkungen über die Schriften des M. Cornelius Fronto' e. q. s. Nürnberg 1817, p. 4; cf. Niebuhrii editionis praef. p. XVII. — ²⁰) Th. Mommsen in Herme tom. VIII. p. 198 'Die Chronologie der Briefe Frontos'; cf. Martin Hertz, Renaissance und Rococo in der röm. Litteratur, Berlin 1865, p. 23. — *) scil. M. Aurelium et L. Verum dico.

Natus est M. Cornelius Fronto intra annum p. Chr. centesimum et centesimum decimum²¹⁾ Cirtae in oppido Numidiae. De pueritia eius quibusque disciplinis eruditus sit, nihil memoriae traditum est; magistros suos Athenodotum* (p. 73, 9 et p. 244, 1) et Dionysium**) Milesium (p. 154, 12) rhetores ipse commemorat, cumque Alexandriae quae urbs eo tempore ab adolescentibus litterarum studiosis imprimis petebatur²²⁾ amicos sibi esse dicat, ibidem ipsum litteris operam dedisse veri est simillimum (p. 169, 10).

Quod se duos et viginti annos natum 'vixdum quicquam veterum lectionum' attigisse adfirmat (p. 23, 4) plane non ita est intellegendum, ut eum ad id aetatis rudem fuisse in litteris Romanis putemus; immo tantam in studium priscorum scriptorum tum curam nondum se impendisse dicit quantam M. Aurelio commendat ad id conferendam.

Postquam Romam migravit, sub Divo Hadriano in foro versatus brevique tantam gloriam assecutus est, ut M. Aurelius et L. Verus ei erudiendi traderentur et summis in civitate honoribus ornaretur. Epistulas autem eius perlustranti quo ille homo fuerit ingenio²³⁾ qui aequalibus in fastigio eloquentiae stare^{***)} videretur statim apparebit.

Aetatis suae quae dicendi ratio voluntasque fuit, eis non modo non serviit sed potius absurditatem suorum studiorum addidit. Cognitionem rerum doctrinamque atque ingenuas artes si non omnino neglexit at certe leviter tantum tetigit.

Nec Graecis litteris, quoniam parum eis sine dubio imbutus erat, favebat (p. 252, 8 et p. 31, 6)²⁴⁾. Epistulae enim Graecae quas editioni inseruit fuites exercitationes habendae sunt.

Philosophiam ut erat homo imbecillus non modo acerbitate quadam (154, 4 sq., cf. 184, 18) cavillatus est et putidam existimavit sed etiam philosophos ipsos, quod essent homines uno tantum genere exulti, prorsus contempsit. 'Quidnam igitur, inquit, agerent isti ipsi sapientissimi viri, si de suo quisque more atque instituto deducerentur? Socrates ne coargueret, Zeno ne disceptaret?' e. q. s. (p. 114, 15).

Omni igitur modo M. Aurelium, quem cum ineptiarum rhetoricarum taedeat Iunio Rustico duce²⁵⁾ se ad sapientiam Stoicam convertere aegre ferat, iterum atque iterum orat obsecratque, ut ad neglectum eloquentiae studium revertatur. 'Fateor enim, inquit, quod res est, unam solam posse causam incidere, qua causa claudat aliquantum amor erga te meus: si eloquentiam neglegas (p. 155, 15). Itaque philosophia quam infructuosa sit et inutilis longa de eloquentia disputatione (p. 139—155) argumentatus, haud sine invidia quadam exagitat dialecticos (p. 146, 5 sq.) qui, 'quod in eorum rationibus semper obscuri aliquid et tortuosi' esset (152, 18), observarentur et omnibus officiis colerentur. Discere quidem ex eis Marcum (p. 146, 8 sq.) 'ceratinas et soritas et pseudomenus, verba contorta et fidicularia', sed cultu orationis et gravitate et maiestate

²¹⁾ Th. Mommsen l. c. p. 216. — ²²⁾ Bernhardt, Röm. Litteraturgesch. p. 61. cf. Friedlaender, 'Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms' II (1864), p. 35. — *) Huius rhetoris nusquam mentio fit; p. 115, 6 eius eloquentia a Frontone laudatur. — **) cf. Athen. XI, p. 475. — ²³⁾ Niebuhr, Kleine vermischte Schriften p. 326: 'Fronto war eigentlich dumm und hätte lieber ein mechanisches Gewerbe als den Beruf eines Redners und Schriftstellers erwählen sollen'. e. q. s. — ²⁴⁾ p. 31, 6 M. Aurelius ignorationem litterarum Graecarum fatetur, — 'ego, inquit qui a Graeca litteratura tantum absum, quantum a terra Graecia mons Caelius meus abest', — quarum studium Fronto improbavit. Scribit enim M. Aurelius (p. 252, 8): 'Tu ne es qui me nuper concastigabas, quorum graece scriberem?' — ²⁵⁾ M. Aurel. ad Front. p. 101, 24 laudat Frontonis elegantiam dicendi: 'Nam, inquit, de elegantia quid dicam? nisi te latine loqui, nos ceteros neque graece neque latine'. — ²⁶⁾ M. Aurel. *εἰς εὐνόου* I, 7. Locos de Marci studiis philosophicis collectos inven. ap. Teuffel, Gesch. d. röm. Lit. § 354, 2 et 3.

et gratia et nitore neglectis 'loqui quam eloqui malle, murmurare potius et frigitire, quam clangere'. Illos (p. 148, 1) enim 'suspirantem, tussientem immo Jovem describere, non tonantem'.

Quae cum ita sint, Teuffelio multarum rerum cognitionem Frontoni tribuenti²⁶⁾ non assentior. Attigerit sane ille nonnullas artes et doctrinas; vim earum et naturam non percepit; 'verba venditat et voces et praeterea nihil' rectissime Naberus iudicat. (proleg. p. III).

Ex omnibus disciplinis arti oratoriae cui divitias et honores²⁷⁾ debuit principatum tribuendum esse sibi persuaserat; hanc perpetuo fovet discipulis colendam commendat, sed id spectant hortatur, ut auribus hominum serviant (p. 21, 9). Neque igitur mireris pro ea quae erat animi egestate, si huic arti infinitam paene vim vindicandam esse censuit; quid quod Verum 'ad rem militarem magistra eloquentia' usum esse confirmat? (p. 128, 10). Atque insigni G. Caesaris exemplo proposito qui bello Gallico duos de analogia libros scripsisse traditus est (p. 221, 8 sq.) Marco non desinit suadere, ut continuo studio eam quae Caesarem deceat eloquentiam consecetur²⁸⁾; quam qui neglegat imperatorem dignum non esse qui imperet. 'Igitur, inquit, si verum imperatorem generis humani quaeritis, eloquentia vestra imperat, eloquentia mentibus dominatur: ea metum incutit, amorem conciliat, industriam excitat, impudentiam extinguit, virtutem cohortatur, vitia comfutat, suadet, mulcet, docet, consolatur' (p. 122, 18. sq.)²⁹⁾

Hanc summam quam sentit in eloquentia perfectionem quicumque assequi student nec 'solitis et usitatis verbis' contenti esse (p. 50, 5; p. 98 fin.; 99 init.) neque 'hiantes oscitantesque' expectare debent, 'quando verbum ultro in linguam quasi palladium de caelo depluat' (p. 140, 7. sq.); sed quamvis solita quidem praecepta et artificia rhetorica sine quibus omnem orationem absurdam prorsus et inutilem putat (p. 52, 5. sq.) praetermitti nolit, tamen omnem potius curam et industriam collocari iubet in 'insperatis et inopinatis verbis' indagandis (p. 63, 15. sq.) synonymis colligendis verbis singularibus requirendis (p. 151, 3), figuris³⁰⁾ adhibendis imaginibus³¹⁾ quaerendis. Certam autem rationem et viam qua Fronto id quod Marco tumido ut solet more verbis 'me vade, me

²⁶⁾ Teuff. R. L. p. 799. — ²⁷⁾ Dio LXIX, 18 'Κορνήλιος Φρόντων, ὃ τὰ πρῶτα τῶν τότε Ῥωμαίων ἐν δικαίᾳ φερόμενος'. Orationes forenses a Frontone habitae memorantur p. 83, 21; 86, 6; 169, 24; cf. p. 252, 5; p. 183 all. Dicit p. 201, 17 'Ego quoque, ut spero, quoad aetatis vis vignet, in officiis civilibus non obscure versatus sum.' — ²⁸⁾ cf. p. 40, 7. sq. — ²⁹⁾ cf. ep. ad Antonin. de eloquentia p. 141, 20. sq. — ³⁰⁾ p. 181, 3. 'Duplex autem genus est figurarum: aut enim verborum figurae sunt aut sententiarum. In figuris verborum est tropus metaphora.' Quem ad locum Volkmann (Die Rhetorik der Griechen und Römer, Leipzig 1874, p. 354) adnotat: Selbst Fronto lässt noch höchst auffallender Weise die Tropen und Figuren zusammenfallen, oder genauer gesagt, er rechnet die Tropen zu den Wortfiguren. — Aber hier haben wir es wohl bloß mit einem Irrtum des Schriftstellers zu thun. Denn schon Cicero hatte nach griechischem Vorgange die Tropen von den Figuren unterschieden. Aliarum figurarum mentio fit: p. 98, 4. sq. 'ita orationem tuam figurasti, quam figuram παραλέγουσιν appellat, ut praetereundo tamen diceret et dicendo tamen praetereires' cf. p. 99, 13; v. Volkmann p. 427. p. 107, 23 de Sallustianis 'antithesis honeste compositis', et ibid. v. 24 de paronomasia disserit; p. 108, 3, ἐπιαναφορὰ memoratur. — ³¹⁾ De imaginum usu, ad quas 'apte animo comprehendendas accommodandasque mediocriter' ab Athenodoro se institutum esse (p. 73, 9. sq.) Fronto proficitur, copiosius disserit p. 46; sed τὴν δὲ ἑλπίαν τῶν εἰκόνων τέχνην; quam alias diligentius se persecutorum promittit, in his epistularum reliquiis desideramus (cf. p. 47, 7). 'imaginem utriculi' a Marco usurpatam Fronto memorat p. 97, 1. Plures imagines a Frontone fictas legitimus in epistula 'Μητὲρ Καταραῶς' inscripta (p. 239, sq.); cf. etiam p. 145, 11. sq. M. Aurel. ad Front. p. 45, 4 'εἰκόνας decem ferme expediῖ.'

reddere, me sponsore celeriter te in cacumine eloquentiae sistam' (p. 55, 3) per litteras proposuit se perfecturum esse putaverit, aliquis frustra quaesiverit. Landat enim eloquentiam, non item docet. Igitur neque aut in eius 'de eloquentia' disputatione aut in ceteris epistulis ab illo conscriptis certam normam artis rhetoricae ac regulam quas discipulos sequi voluerit invenies; immo exceptis eis quorum in proemio 'de laudibus fumi et pulveris' orationis (p. 211, 10 sq.) et in epistularum ad M. Caesarem lib. III, XVI (p. 54) de discrimine quod intercedat inter orationes demonstrativas et iudiciarias (p. 211, 19) conscribendas mentio facta est, et quae passim de figuris et imaginibus pompam quandam dicendi et ostentationem efficientibus quaeque de ratione et distributione argumentorum rhetoricorum (p. 146, 20. sq.) prolata ab eo reperiuntur tam parvi sunt momenti, ut ad rationem artis rhetoricae accuratius cognoscendam nihil adferant. —

Studia autem quibus Fronto discipulos ad eloquentiam praeparandam institui voluerit ex epistularum quod inter eos fuit commercio aliquantò iam rectius perspicere licet.

Et primum quidem, quoniam omnis eloquentia verti in firma dicendi facilitate visa est, solito rhetorum more scholasticis declamationibus³²⁾ moderatus est; quibus accedebant recitationes³²⁾ orationum vel causarum quarum argumenta a magistro ficta discipulisque elucubranda et explicanda proposita erant. Sunt huiusmodi argumenta p. 81, 16. sq. et 83, 24 sq.³³⁾, sed utraque Marco aequè improbata; alterum *ἀπίθανον ὑπόθεσιν*, alterum non satis clamorosum existimat; aliud petit, 'ubi clamari debeat' (p. 84, 10.).

Quibus de argumentis vel sententiis — quas, quamvis 'laboriosum negotium' Fronto putet sed 'pulcrum et paucis impetratum', Marcum ut bis et ter convertat hortatur 49, 12) — discipuli quas conscripserant disputatiunculas magistro legendas et corrigendas³⁴⁾ tradidere, ut quod laude dignum in eis haberet, quod vituperatione, secum communicaret. Laudat³⁵⁾ Fronto exempli causa p. 48, 17 'gnomam prope perfecte' a Marco conversam, 'ut poni in libro Sallustii possit', sed p. 78, 5 vocabulum 'dictionem pro oratione' ut ab usu removeat ab eo petit, quod hic (p. 78, 7) sese defensorem rescribit. Atque ut alia omittam, in epistula de orationibus conscripta cum imperatorem in eleganti verborum delectu peccasse sententiasque a Seneca depromptas vel harum similes Catonianis temere admiscuisse indigne patiatur (p. 155, 19), edictum aliquod eius acri et acerbo iudicio percenset (p. 159—161)

³²⁾ p. 154, 7. sq.; cf. p. 150, 11. — ³³⁾ p. 82, 16 Fronto ad Marcum scribit: Materiam misi tibi: res seria est. Consul populi romani, posita praetexta, manicum induit, leonem inter iuvenes quinquatribus percussit populo romano spectante. Apud censores expositulatur (sic scribo cum Schopeno pro codicis lect. 'expostules.'). *Διάσκεψον, ἀπόθεσον.* Rescribit Marcus p. 82, 22 sq. Quando id factum? et an Romae? Num illud dieis in Albano factum sub Domitiano? Praeterea in hac materia diutius laborandum est, ut factum credatur, quam ut irascatur. *Ἀπίθανος ὑπόθεσις* videtur mihi e. q. s. cf. 83, 24. sq. 'M. Lucilius tribunus pl. hominem liberum civem romanum, cum collegae mitti iuberent, adversus eorum sententiam ipsus vi in carcerem cepigit. Ob eam rem a censoribus notatur. Divide primum causam, *εἴτα εἰς ἐκότερα τὰ μέρη ἐπιχειρήσον καὶ κατηγορῶν καὶ ἀπολογούμενος.*' Quam materiam Marco displicuisse (p. 84, 8) supra dictum est; alia materia memoratur p. 70, 11 et p. 253, 3. De generibus *ὑπόθεσεων* Frontonem disserentem licet audire p. 54, 8. sq. — ³⁴⁾ p. 70, 17 Marc. scrib. ad Front. 'Tandem tabellarius proficiscitur, et ego tridui acta mea ad te tandem possum dimittere. cf. 70, 11 . . . priusquam me in latus convertito ut stertam, meum pensum explicio et diei rationem meo suavissimo magistro reddo. cf. etiam p. 190, 5. Fronto scribit Volumnio Quadrato: legam libenter itaque ut soleo corrigam, quantum manus, quae infirmissimae sunt, tolerare poterunt. — ³⁵⁾ p. 40, 6 sq. Marcus laudatur, quod in oratione in senatu habita nullo verbo remotiore usus est. cf. p. 99, 11. sq. Complura huiusmodi sunt in ep. ad M. Caes. de orationibus p. 155—162 et p. 64. sq.

eumque reverti potius 'ad verba apta et propria et suo suco imbuta' iubet (p. 113); multo enim esse satius, alio loco iudicat, 'vulgaribus et usitatis quam remotis et requisitis uti si parum significant'³⁶⁾. Quod ab ea quam ipse secutus est et Marcum sequi voluit elocutionis ratione abhorreere videtur; nec discrepat. Namque exacerbato ei, quod discipulus confusa quadam dicendi ratione uteretur, postquam haec verba velut ex ore exciderunt, statim cum adicit verba 'monetam illam veterem sectator' (161, 15.), quomodo illa sint intellegenda, dubios nos esse non sinit. Etenim cum Marcus invitus neque eodem quo Verus studio atque profectu magistri praeceptis et auctoritati obtemperaret, Fronto ex duobus malis levius sine dubio ferre quam illum aemulantiem videre maluit Senecam eosque qui hunc sectati antiquas Romanorum litteras contempserunt³⁷⁾. Inde patet Senecam non tam ingenio atque eruditione quam lepore in dicendo facetiisque nonnunquam acerbis Frontone multo superiorem in eis fuisse scriptoribus qui cum multis aliis tum Marco maxime probati tanto honore fuerint, ut Frontoni omni sibi ope laborandum persuasum fuerit, ne auctoritate illorum sua gloria obscuraretur. Quo quidem studio eo propectus est, ut Marcum subtiles Senecae de sapientia Stoica explicationes studiis antiquariorum ieiunis aridisque praeferentem eloquentiam 'partim iligneis³⁸⁾ nucibus Catonis partim Senecae mollibus et febriculosus prunuleis insitam' (155, 19) radicibus subvertendam esse doceret totumque illud genus dicendi absurdum plane et turpissimum existimaret³⁹⁾. Quin etiam 'scabiem' tantum et 'porriginem' concipi ex recentiorum scriptorum libris contendere non dubitavit! (p. 161, 14.)

Quae cum ita sint, dicendum est de eis scriptoribus quos imitandos et sibi ipsi et discipulis proposuit quosque, quantum ex epistularum eius Marcique reliquiis nec non ipsius iudicio saepius prolato⁴⁰⁾ videre licet, re vera imitatus est. Sunt hi prae ceteris oratorum Cato, Sallustius, poetarum Plautus, Ennius, Lucretius; praeterea laudat L. Coelium, Naevium, quibus accedunt Accius, Caecilius, Laberius. 'Nam praeter hos, pergit p. 62, 20, partim scriptorum animadvertas particulatim elegantis Novium et Pomponium et id genus in verbis rusticanis et iocularibus ac ridiculariis, Attam in muliebribus*), Sisennam in lascivis, Lucilium in cuiusque artis ac negotii propriis.'

Quo conferas quod Fronto indicat p. 113, fin. sq. 'In poetis autem quis ignorat ut gracilis sit Lucilius, Albucius aridus, sublimis Lucretius, mediocris Pacuvius, inaequalis Accius, Ennius multiformis? Historiam quoque scripsere Sallustius structe, Pictor incondite, Claudius lepide, Antias invenuste, Seisenna longinque, verbis Cato multiugis, Coelius singulis. Concionatur autem Cato infeste, Gracchus turbulente, Tullius copiose. Iam in iudiciis saevit idem Cato, triumphat Cicero, tumultuatur Gracchus, Calvus rixatur?'

³⁶⁾ cf. p. 63 fin. et 64 init. — ³⁷⁾ Gell. noct. Att. XII, 2. — ³⁸⁾ ita ingeniose O. Jahnius in Mus. Rhen 1845, p. 156 pro codicis lectione 'igneis' coniecit. (cf. Cato r. r. 18, 9.) — ³⁹⁾ cf. p. 157, 160 et 161. — ⁴⁰⁾ p. 54, 15 sq. 'Meministi autem tu plurimas lectiones, quibus usque adhuc versatus es, comoedias, atellanas, oratores veteres; quorum aut pauci aut praeter Catonem et Gracchum nemo tubam inflat; omnes autem mugiant vel strident potius.' cf. p. 149, 19. 'Ennium deinde et Accium et Lucretium ampliore iam mugitu personantis tamen tolerant. At ubi Catonis et Sallustii et Tulli tuba exaudita est, trepidant et pavent et fugam frustra meditantur' cf. p. 224, 8. sq. — *) Cornelissen Mnemos. nov. ser. p. 91—96 'scurrilibus i. e. urbanis,' coll. Plaut. Trin. I, 2, 165., Most. I, 1, 14, Val. Max. 8, 8, 3.

Quod quidem de his scriptoribus iudicium recte factum sit necne, in medio relinquamus. Sed vides eum scriptores classicos quos dicunt excepto Cicerone plane neglexisse. Quem tamen si nonnunquam merita laude impertit⁴¹⁾, id agit ut imaginem perfecti oratoris omnibusque probati proferendo vim eloquentiae atque auctoritatem tueatur⁴²⁾. Ceterum in eo pulchritudinem quidem elocutionis laudat, desiderat vero in verbis insperatis atque inopinatis quaerendis diligendisque diligentiam⁴³⁾.

Poetarum recentioris ut ita dicam notae uno loco Horatium commemorat (p. 23, 16) eumque memorabilem poetam esse sibi propter Maecenatem ac Maecenatianos hortos suos non alienum adicit; aliorum in his epistularum fragmentis nusquam mentio facta est, quamquam eum scriptores qui post Ciceronem floruerunt magnam partem legisse veri est simillimum.

Erant igitur ut vidimus fere omnes quibus plus minus repetendis imitandisque lingua Romana litteraeque moriturae putaret fieri posse ut renascerentur in numero eorum qui dudum oblivione obruti erant.

Quo autem melius quaecunque eleganter et facete ab eis pronuntiata viderentur in promptu haberet, omnem curam atque industriam in excerpendis illis scriptoribus adhibebat idque spectabat, ut eorum quasi flores decerperet. Neque hoc negotium parvi laboris erat. Nam cum omnem oratoris virtutem censeret positam esse in copia et pulchritudine verborum, quae tamen nova et inopinata audientibus essent, discipulos omnia vetustiorum litterarum genera excutere et verborum quasi 'regiones et saltus' (p. 140, 9) docebat investigare et ipse investigabat. Itaque oratoriam quandam supellectilem confecerunt quam unde petierint ex epist. ad Antonin. lib. II fragm. colligitur. Scribit enim Fronto p. 106, 3 sq. . . . 'vel graves ex orationibus veterum sententias arriperetis, vel dulces ex poematis, vel ex historia splendidas, vel comes ex comedis, vel urbanas ex togatis, vel ex Atellanis lepidas et facetas . . .'⁴⁴⁾. Atque Marcum, quamquam nescio an saepe invitum his lusibus magistro antesignano et auctore videmus indulsisse. Fecit exempli gratia ipsius testimonio (p. 34, 13) excerpta 'ex libris sexaginta in quinque tomis', in quibus erant 'et Novianae et Atellaniolae et Scipionis oratiunculae'; nec raro Fronto quae veterum libris excerpta tamquam thesauros in scriniis servabat petenti ei utenda tradidit⁴⁵⁾. Huiusmodi excerpta rariora vocabula omniaque quae notatu digna viderentur con-

⁴¹⁾ p. 184, M. Tullius . . . sed ut aestimes nostrum mediocre ingenium quantum ab illo eximiae eloquentiae viro abfuit; p. 125, 13 M. Tullius summum supraemumque os romanae linguae fuit. — ⁴²⁾ cf. Teuffel, Röm. Literaturgesch. p. 801, 6. — ⁴³⁾ v. p. 63, 9 sq.: Itaque conperisse videor ut qui eius scripta omnia studiosissime lectitarim, cetera eum genera verborum copiosissime uberrimeque tractasse, verba propria, translata, simplicia, composita, et quae in eius scriptis ubique dilucet, verba honesta saepenumero etiam amoena, quom tamen in omnibus eius orationibus paucissima admodum reperias insperata atque inopinata verba, quae nonnisi eum studio atque cura atque vigilia atque multa veterum carminum memoria indagantur. — ⁴⁴⁾ cf. p. 54, 15. — ⁴⁵⁾ M. Aur. p. 104, 16 sq. 'Mitte mihi aliquid quod tibi disertissimum videatur, quod legam, vel tuum aut Catonis aut Ciceronis aut Sallustii aut Gracchi aut poetae alicuius', Pergit p. 105, 4 'Etiam si Lucretii aut Ennii excerpta habes *elogora*'. Respondet Fronto p. 107, 7 sq. Marco Ciceronis epistulas electas totas vel dimidiatas petenti: 'Memini me excerpisse ex Ciceronis epistulis ea dumtaxat quibus inesset aliqua de eloquentia vel philosophia vel de rep. disputatio: praeterea siquid elegantius aut verbo notabili dictum videretur, excerpsti. Quae in usu meo ad manum erant excerpta, misi tibi. cf. etiam p. 56, 11.

tinentia⁴⁶⁾ in his epistulis commemorantur Ennii, Lucretii, Sallustii, Scipionis, Coelii, Catonis, Ciceronis; quibus adnumeranda sunt ea quae aliorum scriptorum vel poetarum dicta locutionesque ab ipso Frontone et M. Aurelio notata passim inveniuntur; quae tamen, cum a viris doctis qui praeceptorum scriptorum fragmentis colligendis disponendisque operam navaverunt diligenter et subtiliter eruta sint, missa faciamus.

Ceterum in dictis maximeque versibus recensendis quos Fronto ex aliis petitos suis epistulis inseruit eo maiore cautione opus est, quod sive ex memoria eos protulit sive de excerptis suis repetivit, nihil aliud spectavit, quam ut orationem suam variaret et distingueret quasi quibusdam verborum sententiarumque insignibus. Itaque exceptis eis quibus praecepta de eleganti dicendi genere ab ipso tradita illustraturus esset⁴⁸⁾ pauca ut videtur eisdem quibus ab aliis scripta erant verbis reddidit⁴⁹⁾, sed ea potius, prout res poscere videretur, suo ingenio atque arbitrio imitandi causa commutavit. Conferas velim, ut hoc unum exemplum Frontonianarum ineptiarum adferam, quomodo in initio fragmenti de bello Parthico inscripti (p. 217) versibus Ennianis luserit. Laudantur a Cicerone in Tusculanarum disputationum lib. III, cap. 13 versus:

*Égo cum genui tám morituros scívi et ei rei sústuli.
Praeterea ad Troiám cum misi ob defendendam Graeciam,
Scibam me in mortiferum bellum, nón in epulas mittere⁵⁰⁾.*

Iam audiamus Frontonem loquentem: Scribit p. 217, 3 'Mars] tametsi genuit gentem Romanam, aequo animo patitur fatisci nos interdum et pelli et volnerari. An cunctetur de militibus nostris Mars pater illa dicere?

*Ego cum genui tum morituros scivi et ei rei sustuli.
Praeterea cum in terrae orbem misi ob defendendum imperium,
Scibam me in mortifera bella, non in epulas mittere.*

Permulta alia eiusmodi infra videbimus. Apparet autem omnes artes sine quibus Fronto veram et magnificam eloquentiam cogitari non posse existimaverit in illa domestica exercitatione et umbratili positas fuisse cuius in ep. ad Antonin. de eloquentia p. 151, 1 sq. illum monuit his verbis: 'Tum si quando tibi negotiis districto perpetuis (Haupt. perpetis) orationis conscribundae tempus deesset, nonne te tumultuaris quibusdam et lucrativis studiorum solaciis fulciebas, synonymis colligendis verbis interdum singularibus requirendis? ut veterum commata, ut cola syno-

⁴⁶⁾ cf. l. c. et Bernhardy, Röm. Literaturgesch. p. 91: Diese Kollektaneen ergaben einen sophistischen Apparat, wie Phrynichus und Pollux ihn unter den Griechen zusammenbrachten: daraus ein etwas niedrig gehaltenes Beispiel (p. 149, 7 sq): 'verba de balbutientibus ponenda varie: — vox impedita, vox vieta, vox difficilis, vox . . . , vox imperfecta, vox absorta. His contraria quaerenti tibi subvenisse certum habeo: vox expedita, vox absoluta, vox facilis, vox Idem fere Fr. dicit p. 159, 6 sq. — ⁴⁷⁾ Coelianum excerptum ab Antonino p. 253, 3 memoratum Peterus, veter. historic. rom. reliqu. proleg. p. CCXXXI adnot. 2 secundum sententiarum nexum esse Coelii Rufi oratoris existimat (cf. Teuff. R. L. p. 391); et illi equidem coll. Tac. dial. 21 cum Antonini verbis 'nec legam priusquam sensus ipse venatus fuero' assentior. — ⁴⁸⁾ cf. excerpta Sallustiana p. 107—110 et excerptum ex Ciceronis orat. pro Caelio cap. 6 quae valde accurate exscripta sunt. — ⁴⁹⁾ praeter Horatii versus ex Sat. lib. II, 3, 254 a Frontone p. 24 allatos alia fortasse ex poetis ab eo ad verbum exscripta esse certo demonstrari nequit. — ⁵⁰⁾ cf. Vahlen, Ennianae poesis reliquiae, Lipsiae 1854 trag. v. 361. sq.

formorum ratione converteres, ut de vulgaribus elegantia, de contaminatis nova redderes, imaginem aliquam accommodares, figuram iniceres, prisco verbo adornares, colorem vetusculum adpingeres¹.

Quae cum ita sint, et Frontonis et divorum fratrum elocutionem quorum potissimum scriptorum vel poetarum vocibus sententiisque quisque scripta sua exornaverit eorum quoque prae se ferre varium colorem vix est quod moneamus. Itaque in formis^{*)} adhibendis nec non dictionibus ordinandis construendisque^{**)} nonnunquam magna in his epistulis est et quasi versicolor varietas. Tenendum autem est discrimen quod intercederet inter scriptorum prosae orationis et poetarum consuetudinem loquendi Frontonis aetate prorsus fere sublatum et ita certe perturbatum fuisse, ut quae e poetarum imprimis Augusteae aetatis sermone petita in communi usu essent, ea secernere funditusque exstirpare, etiam si voluisset, vix quisquam potuisset. Accedit quod complura vocabula apud sacerdotes et iuriconsultos usitata eadem qua antiquitus tradita erant forma ab omnibus fere scriptoribus in formulis vel dictis sollemnibus tamquam sancte dicta servata sunt (cf. apud Nostros p. 42, 7; 193, 6; 195, 7; 213, 17; 67, 22). Quare in quaestionibus de elocutione scriptoris alicuius imprimis argenteae aetatis quae vocatur instituendis eò magis cavendum est, ne in leves atque absurdas coniecturas incidas, quod in tanta copia uberrimorum fontium e quibus haurire potuerit rariora vocabula cum alio scriptore solo ei communia utrum ab hoc ipso mutuatus sit an aliunde quaesiverit, nisi gravioribus quibusdam indicis id comprobetur, diiudicari nullo modo potest. Sunt, quod sciam, Frontoni communia cum Cicerone solo: augustius dicere 148, 4, (Brut. c. XXI, 83); comperendinare 228, 17; concordissime vivere cum aliquo, 235, 10 (Rabir. perd. c. 5, 14); frugaliter dicere 127, 6 (fin. II, 9, 25); libentissime 101, 2 (M. Aur. 68, 4); perpaucula 9, 5 (ita codex teste Studem. ep. crit. ad Klusm. p. III); pervigilatio 141, 18; [M. Aur. cum Cicerone habet adpropinquatio, 90, 6 et 7; pituitosus 69, 2; tristiculus 55, 25; cum Plinio maiore equitatio 69, 5] cum Livio variatio 212, 26, cum Quintiliano altercator 121, 2, cum Tacito sellula 89, 18, quod est quoque apud Hieronym., cum Suetonio oppidatim 203, 8, pleraque (adv.) 144, 12; 227, 2 (praeterea apud Gellium). Porro habet cum Apuleio currulis (strepitus) 229, 21; regressio = receptus, reditus 204, 16; cum Gellio iurgiosus 74, 6; ridicularius (adi.) 62, 23; multifaria (neutr. pl.) 54, 9 (Hauptius in indice Berol. 1867, p. 5 multifariam); cum Gellio et Apuleio naevolus 98, 18 [M. Aur. illatenus 231, 3]; cum Apuleio et Tertulliano pompaticus 55, 1; replicare = repetere 157, 18, cum Apulei, Prudent., Amm.; volentia 137, 5 cum Apuleio et Solino; M. Aur. cum Gellio, Hieronym., Ausonio, lucubratiuncula 9, 9. Praeterea post Frontonem exstant incitator 146, 4, apud Ammianum et Prudentium; quadripedus, 156, 4, ap. Amm.; structe, 114, 3, apud Tertullianum, vetusculus 151, 8, apud Sidonium.

Cum M. Aurelio communia sunt p. 69, 5 sternutatio Apuleio et Scribonio; veriloquus, 49, 16, Hieronymo; deglutire, quod apud Frontonem legitur 182, 7, reperitur ap. Alcim. Avit. de baln. Jonae IV, 364 et Boeth. de duab. nat. p. 948. —

Qua autem rariorum vocabulorum e collatione cum de studiis Frontonis et divorum fratrum nihil effici posse appareat, complura eos cum aliis quorum opera aetatem non tulerint

^{*)} De verborum formis a Frontone admissis quae composui propter angustum spatium huic dissertatiunculae concessum omittere coactus sum. — ^{**)} De syntaxi Frontoniana bene disputavit Adolfus Ebert in actis seminarii philologici Erlangensis, vol. II, Erlangae 1881, p. 311—354.

scriptoribus debuisse, tum e cotidiano sermone duxisse manifestum est. Ad plebeium sermonem referenda videntur esse vocabula 'rapinatio' quo pastor utitur apud M. Aurelium p. 35, 16 et 'repraehensibilis', quod apud eundem Marcum legitur p. 44, 2, et p. 71, 6 impraesentiarum⁵¹); indeque verbum 'deglutienti' (v. supra) in Frontonis usum irrepsisse veri est simile, quamquam verba quae rustica haberi possent plane devitavit atque insolentibus vocabulis fingendis quae Afrorum praecipue Apuleius (v. Reisig, Vorles. etc. p. 50) et Tertullianus ostentabant abstinuit, id quod ipsius verbis ad Marcum imperatorem scriptis 'verbum aliquod adquiras non fictum a te, nam id quidem absurdum est, sed usurpatum concinnius aut congruentius aut commodatius' (p. 162, 4) elucet. Igitur quamvis vocabula XCII⁵²) quae apud solum Frontonem eiusque discipulos inveniuntur, utrum ipsi illi vel ex parte vel omnia finxerint an aliunde desumpserint, ambigatur, tamen ea non minimum conferunt ad rationem qua Fronto elocutionem suam conformaverit cognoscendam; de qua quaestiones ita instituumus, ut primum ea vocabula quae solus rhetor notione genuina usurpaverit aut amplificaverit aut nova vi ac significatione ornaverit, deinde quae ex aliorum potissimumque veterum poetarum et scriptorum libris videatur petiisse enumeremus, tum quomodo illos imitatus sit demonstramus. His quae M. Aurelii et L. Veri sunt addentur.

De elocutione.

1. Quae vocabula Fronto aliter atque alii scriptores usurpaverit.

Ablegare de vocabulo ex oratione removendo 78, 4, unum verbum de oratione ablega. — adiurare = adfirmare, contendere 96, 11, quod quidem ego . . . adiurare solebam. — amiculum trop. 144, 9, novissimum namque homini sapientiam colenti amiculum est gloriae cupido. (cf. ibid. v. 11) — aries trop. 53, 9 sq. Itaque non viniis neque arietibus errores adolescentium expugnabat, sed cuniculis subrebat. — aspergo trop. 195, 2, cuius infamiae aspergo inquinat simul multos et dedecorat. (similiter etiam Prudent. Apoth. 1005) — balba⁵³) virgo = v. balbe i. e. obscure loquens 149, 5. castella verborum 139, 4, ibidem conciliabula verbb. — clangere de magnifico dicendi genere 146, 12 loqui te quam eloqui malle, murmurare potius aut friggere quam clangere. — clavis et fibula trop. 212, 2, sententia clavi aliqua vel fibula terminanda est (cf. claves oculorum 229, 8). — commaculare translate et absolute dictum 42, 5, omnis enim cum polluto complexus, tametsi superes, commaculat. — se complere = vires affectas corporis recuperare 133, 12, cura diligentiaque opus est, ut paullatim temet compleas. — convertere sensu neutro 105, 27, spes in rem convertit. (cf. p. 230, 9, ea somnia plerumque ad verum convertunt). — conliquescere = maerore et lacrimis consumi 232, 17, Victorini mei lacrimis tabesco, conliquesco. — crispulus transl. de oratione 159, 20, quid in orationibus meis novicium, quid crispulum. e. q. s. — deducere se aliqua re = abstinere alq. re 103, 25, vino aqua etiam et cibo temet deducere solitum. — detractare absolute = recusare 222, 13 digitis detractantibus. — eversus, oculos eversos 234, 3 = oculos solutos. — febriculosus = febrim excitans 155, 20,

⁵¹) A. Ebert, synt. Fronton. p. 331. — ⁵²) Haec vocabula accuratissime collecta sunt a R. Klusmanno, (emend. Front. p. 75 et 76, excurs. II); 'dilectus' (143, 7; 199, 5, 206, 1) quod Pauckerus (addend. lexic. latt. p. 22) Frontonis proprium vocabulum adfert in codice pro 'delectus' scriptum esse moneo. — ⁵³) cf. Lucil. VI, 20 (Muell.)

Senecae mollibus et febriculosis prunuleis insitam (scil. eloquentiam). — figuratio = *σχημα* 98, 2, cf. 152, 9 et 151, 21. — frumentarius = frumenti cupidus 210, 12, congiaris frumentariam modo plebem singillatim placari. Fortasse scribendum est 'frumenti avidam'? — gemmula (Edelstein) 65, 9. — gibberosus transl. de oratione = horridus et salebrosus 148, 8 sermones gibberosos retortos. — hastula notione genuina positum ad disputandi arma artesque transfertur 158, 22, uti clipeo te Achillis in orationibus oportet, non parmulam ventilare neque hastulis histrionis ludere. — inaequalis = inconstans et horridus, de Accii poesi dictum 114, 2 mediocris Pacuvius, inaequalis Accius e. q. s.⁵⁴). — ingurgitare = inicere, inspirare 59, 25, [cum amicis] tuis mihi amorem tui ingurgito. — impressio = turba hominum sese prementium (de Vit.) 84, 25, metui ego invalido adhuc corpore turbae et inpraessione (sic. cod.) me committere. — luciscere transl. de amore 103, 17, tu me ad pristinam illam mensuram luciscentis amoris tui revocas . . . — lucus eloquentiae 149, 17 opponitur luo opaco v. 15. — madescere = temulentum, ebrium esse 227, 2, quem (scil. Chrysippum) quotidie ferunt madescere solitum, (similiter madere usurpatur a Plauto Most. I, 3, 18). — mugire et stridere de oratoribus, quos Fronto improbat, dictum 54, 19, praeter Catonem et Gracchum nemo tubam inflat; omnes autem mugiunt vel stridunt potius. — mugitus, us, de grandi et magnifico dicendi genere dictum 149, 20, Ennium deinde et Accium et Lucretium amphiore iam mugitu personantis tamen tolerant. — musculus iocose de Victorino dictum 24, 7, ne musculus iste aliquid aliqua rimari possit. — mussare = indignari et murmurare 8, 25, Iam hora decima (Nab. mavult h. decimam) tangit et tabellarius tuus mussat. — obstetricius = difficilis ad eruendum et exprimendum 148, 17, sensum dictu periculosum et paene opstetricium protulisti. — os trop. = oratoris vox atque adeo pro orator 125, 13, M. Tullius summum supraemumque os romanae linguae fuit. — pertinere = pervenire, assequi 144, 18, Fac te, Caesar, ad sapientiam Cleanthis aut Zenonis posse pertinere. — pervigilatio = tempus vigilandi 141, 18, Aliud prandendi tempus, alia lavatio, alius somnus, alia pervigilatio. — phalerae de ornatu orationis 54, 14, Omnia *ἐν τῷ ἐπιδεικτικῷ ἄδρῳ* dicenda, ubique ornandum, ubique phaleris utendum. (cf. Symmach. ep. I, 83.) — pinguis = insignis, eximius, 220, 4, harioli autem laetam et pinguem fortunam portendier somnio interpretaati. — pipulum notione fere genuina de infantium vocibus 101, 14. — ponere = componere 208, 15, bellum, si vellet, condicionibus poneret. — propellere = differre, ut e marginis lectione elucet, 197, 12, quis vindemiam maturam ac distillantem propellit? — remurmurare = impugnare vel potius hoc loco 'laudem alicuius detrahare' 192, 11, Sicut eos qui dicta factaque tua administranda provincia maximis laudibus ferunt, laetus ac libens audio, ita siquis quid remurmurat aut depraecatur, multo scrupulosius ausculto. — resarcire = reficere 133, 12, nec properes ad detrimenta virium resarcienda. — saviata passive = digna quae basietur 86, 3. (v. Ebert, synt. Fr. p. 338.) — scatebra causidicorum = caterva vel multitudo causidicorum quae scatet (cf. lexic. de Vit.) 170, 19. — seminudus trop. de sententiis parum exornatis 96, 21, ne procerae illae sententiae male sint amictae, neve indecorius cinctae, neve sint seminudae; sed 207, 1 hoc vocabulum idem valet atque leviter armatus (male armatus) cf. Liv. XXXI, 35. — serpillum poetice et translate de eloquentia Atticorum 106, 1, Atticis propinque thymum serpillumque hymmettium ruminantibus viris . . .

⁵⁴) Klusm. emend. Fr. p. 54 aequalis, 'ut recte Ennio multiformi opponatur'.

quibus Klusm. (emend. Front. p. 78) versum latere suspicatur: Atticis thymúm propinquum séryllumque hyméttium. — silex = via silice strata 88, 9 . . . , cras vehiculo vectari destino, si facile silicem toleravero, quantum pote ad te curram. — tolutaris pro usitato tolutarius translate 156, 3, sententias eius tolutares video nusquam quadripedo concito cursu tenere. (cf. 22, 16 sq.) — tuba de forti atque efficaci oratione 149, 21, At ubi Catonis et Sallustii et Tulli tuba audita est, trepidant, e. q. s. cf. 54, 17 (similiter quoque Prudent. adv. Symm. II, 46 et Sidon. ep. IV, 3.) variatio = commutatio, varietas 212, 26, variatio . . . gratior . . . quam recta continuatio. — ventilare transl. de variandis sententiis 157, 8, unam eandemque sententiam multimodis faciunt (Orelli iaciunt), ventilant, commutant. e. q. s. — velificari ad eloquentiam = tendere ad eloq. 97, 10, et quamquam non semper ex summis opibus ad eloquentiam velificaris, tamen. e. q. s.

Marci elocutionis propria sunt: adirectare notione genuina pro attingere manibus 4, 2, ipsum denique illum pedem . . . adirectare sensim, in balneo fovere, e. q. s. — advigilare = curare, curam habere 71, 11, nos remedia experimur et ne quid opere nostro (Klusm. emend. p. 46: opera nostra) claudat advigilamus. — in altum tollere (scil. animum) = effusa laetitia animum afficere atque erigere 27, 16. — atterere = perdere 93, 2, Heri totum diem in itinere adrivimus. — detergere poetice et translate = demere et discutere 36, 11, ut sollicitudinem nostram vel interim minuat vel iam omnino detergeat. — dictio pro oratione a Frontone 78, 4 vituperatur; solita notione apud Marcum legitur 40, 22. — introferre pedem, quod 28, 24 legitur, a solo Marco videtur dictum esse, — iubilare eodem fere sensu dictum est atque laetum esse 69, 20, deinde uvis metendis operam dedimus et consudavimus et iubilavimus. — levare = solatio esse, consolari, 82, 2, Sed me levat, quod spero illo spatio, quo perferebatur huc (cod: hoc; Maius: hic) nuntius, potuisse cedere fomentis et remediis omnem illam vim doloris. Similiter ab eodem usurpatur adlevare 83, 3, Me adlevant nuntii de domnula mea commodiora deis iuvantibus indicant. (cf. Plaut. Pers. II, 5, 2). Eodem cadit 79, 22, 'mater iam levior est,' quod idem valet atque mater melius se habet, meliore valetudine utitur. — peramplus de animi adfectione dictum est 79, 7, mihi peramplam anxietatem et summam aegritudinem . . . litteris his tuis misisti (Schopenus: inussisti). — perfrigescere metaph. 68, 24, Ego videor mihi perfrixisse, quod mane soleatus ambulavi an quod male scripsi, non scio. — propitiare de libris placandis metaphorice dictum 76, 6, libris Aristonis propitiatis paulisper quiescere concedam. — supinus = tristis vel demissus 56, 18. Igitur dum tu iacebis, et mihi animus supinus erit. — vexare proprie eodemque fere sensu atque Gellius II, 6, 5 'qui vehiculo fertur et rapsatur atque huc atque illuc distrahitur' explicandum voluit, dictum est 94, 21, Peto a te . . . ne te ob diem natalem Cornificiae Lorium vexes. — dispandere trop. = materiam dilatare dicit Verus p. 132, 12 —.

2. Recensentur ea vocabula quae e priscorum scriptorum consuetudine Frontonem eiusque amicos petiisse veri est simillimum.

Hic primum quidem comicos dudum intellectum est respiciendos esse qui, propterea quod oratione usi remissiore atque cotidiana locutioni finitima scatebant vocabulis ab classicis quidem scriptoribus quos dicunt contemptis, sed quae agitur rem optime significantibus, uberrimi fontes erant e quibus antiquarii haurire possent. Enumerare igitur mihi liceat vocabula ser-

monem comicum potissimumque Plautinum redolentia quae apud Nostros inveniuntur; quamquam ex parte ea non ignoro vel inde, vel ab aliis poetis prosaeque orationis nonnullis scriptoribus quorum in usu sunt, vel ex communi sermone sumpta esse certis argumentis ubique confirmari non posse. Quod tamen ut facerem eo perductus sum quod Fronto Plautum quasi lumen comediae ipsius testimonio imprimis habuit in deliciis eumque praeter ceteros, ut infra demonstrabitur, studiosissime imitatus est.

Apud Frontonem leguntur: Absque 85, 24, cf. Ebert in act. sem. Erl. p. 326. — acceptus ad pro acceptus cum dativo 210, 3. pacis artibus vix quisquam Traiano ad populum, si qui adaeque, acceptior extitit. om. Eb. (cf. Plaut. Capt. III, 5, 56); cum dativo est 95, 17. — actutum 224, 15. (Plaut., Naev., Ter., all., imprimis comici; v. Krebs, Antibarb. p. 147.) — adaeque 210, 3 (v. Haupt. progr. Berol. 1867. p. 10 et 11). — aedes plur. = domus 175, 6. — ain tandem 66, 1; an tandem, quod cod. habet 227, 8, Kiesslingius in ain tandem corrigendum sibi visum esse privatim mecum communicavit (legitur ap. Plaut., Cic. epp.; cf. Ribbeck fragm. comic. inc. v. 31, — Quint. IV, 3, 16.). — alcedonia 225, 14. (Plaut. Cas. prol. 26. Poen. I, 2, 143.) — altilis transl. pro opulentus 37, 13 altilis alumna (cf. Plaut. ap. Non. 72, 18 'divitiis maximis, dote altili atque opima'. Fortasse Fronto cogitavit de Cist. IV, 2, 96.). numquam ita animatus fui, ut 165, 18 (cf. Plaut. Amph. II, 2, 30.). antistare c. dat. = superare, superiore esse 8, 4, amor fortuitus officioso amori antistat (cf. Holtze, synt. prisc. script. Lat. I, p. 314.) om. Eb. — argentiolus 157, 1. (v. infra.) — astus, us = astutia 215, 6 (Plaut., Attius, Pacuv., Enn. — vide indicem Ribbeckii — alii veteres). — attat 100, 5 (Plaut., Ter., Naev.; cf. Ribbeck. comic. fragm. coroll. p. XII). — auscultare 192, 12; 237, 15 (saepe apud comicos, Enn., all.). — bellaria 224, 19. (Plaut., Ter., all. cf. Gell. XIII, 11, 6. sq.) — breviculus 48, 22 (in illa gnome brevicula) et 146, 16 (Plaut., Apul.). — cantio 113, 8 (Plaut. Bacch. I, 3, 38, Stich. V, 5, 19 et 27. — Suet., Apul.). — captio = fallacia 215, 4. (Plaut. Asin. IV, 1, 45.) — celox (pl. celocas) 97, 12, Plaut. Poen. III, 1, 40, Pseud. V, 2, 22, Asin. II, 1, 10; Enn., Varro., Plin., Sisenna (ed. Peter) fragm. 38, p. 238, Cael. Ant. p. 150, 2.). — certo scio 179, 6 apud comicos et epistulographos locutio usitatissima. — clienta 32, 18 (Plaut. Mil. III, 1, 194. Afran. v. 239 Ribb., Hor.) — comparcere 216, 6. (Plaut. Poen. I, 2, 137, Ter. Phorm. I, 1, 9.) — compingere 84, 1 saepissime apud Plaut. — comprecari 122, 8 (Plaut. Amph. II, 1, 108, Mil. II, 4, 41. — Catull., Ovid., Plin.). — concessare 96, 5. (Plaut. Asin. II, 2, 24, Poen. I, 2, 9.). — concinnius notione genuina 158, 22 (concinnius saliunt) sim. atq. Plaut. Epid. II, 2, 38; translate usurpatum est 162, 5 et 6. — conciliabula 139, 4 (cf. Studem. ep. crit. p. XXXI.). — conserere 136, 24, quam libenter conseruisti sermonem, sicuti Curt. VIII, 12. Stat. Silv. II, 1, 5; sermonem serere Plaut. Mil. III, 1, 106, Curc. I, 3, 37; ibid II, 3, 11, Caecil. Stat. v. 52 (Ribb. fragm. comic. lat.). — consimile 115, 1 cf. 158, 15 (Plaut. Amph. I, 1, 287, Mil. III, 2, 8, Men. V, 9, 4 et saepius.) — defrudare cod. 102, 19, vide, quaeeso, ne temet ipsum defrudet. De Vit hanc formam sine diphthongo in Frontonis codice esse videtur fugisse. Adfert ex Nonio I, 130 locos aliquot Plautinos et Terentianos, in quibus alii 'defraudo' legunt; sed collato p. 227, 16 'ne te somno defraudes' cum Plaut. Aul. IV, 9, 15 (egomet me defraudavi, animum meum geniumque meum) scribi malo 'defraudes'; cf. praeterea Plaut. Pseud. I,

*) Quae Frontoni et Marco cum solo Plauto communia sunt vocabula asterisco a me signata sunt.

